

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Seubert, Karl August]: Hominum notitia oratione locutus est, 30 Juli 1796

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

De
Hominum notitia
oratione
locutus est.

Carolus Augustus Seubert,
die xxx Julii 1796.

369.

[Faint, illegible handwriting in the center of the page]

[Faint handwriting visible on the right edge of the page]

Director gravissime
Socii honoratissimi!

Inter innumerabiles mortalium labores varieg,
studia, ad quae humana ratio agilisq, animi
adhibentur vires, nullum sane dignius nobiliusq,
scientiarum est genus, nullum quod melius ho-
minis destinationem adjuvat ac majora per om-
nem vitam affert commoda, quam studium id
praecclarum bene nosmet ipsos aliosq, homines
nosendi, ac diligenter humanarum cogitationum,
et actionum perscrutandi fontes. In omni gene-
re negotiorum, quae aut ad universam aut ad
singulorum spectant salutem, maxima illius
satis elucet utilitas. Non ù enim solum, qui
universae humanae societatis curant salutem,
floreng, bene homines noscant necesse est, sed et

privatus quisq; qui sibi solum ac parvo suorum vivit numero. Utamen frequens docet experientia, aversam a se alienumq; actionibus animum homines in alienas et remotas intendere res, vagos nonnunquam omnes humanae scientiae oberrare fines insatiabilisq; curiositate agitados abscondita quaeque atq; externa scrutari, in se ipsis solum sapientiam felicitatemq; haud quaerentes ac egregiam istam sententiam: "Nosce te ipsum" neglegentes. Utillimam vero hanc et saluberrimam scientiam cur saepe aversentur homines raroq; illi studiant, quis est qui satis explicet? Num ideo forsitan, quia magnae in hominum percontatione obijciuntur difficultates et insuperanda fere impedimenta, quibus fessi ac defatigati mortales imperfectum deniq; relinquunt opus?

Paulo diligentius si placet vobis rem ego dis-
quire experiar, de utilitate primum hominum
notitiae ac tum de difficultatibus loquens.

Id modo consentienti hominum iudicio
magni nobis est momenti, quod prodesse ab ali-
qua parte aut bonos nobis asserre potest fructus;
sive ullo enim ad utilitatem respectu, sive ulla
commodi aut voluptatis spe nulla unquam res
ardua nobis ac gravis videbitur. Quare etiam
si hominum notitiae studere debemus, utilem
illam ac arduam credamus necesse est; et pro-
fecto operae, quam impendimus dignam esse
esse magnoque ex illa percipi fructus, quotidiana
docet experientia.

In universum cuilibet prodest bene homines nos-
cere, cuius est officium, suae aliorumque consule-
re salutis; et quis quaeso ex parte se huius offi-

cū fatebitur? Quicumq; enim humanae de-
 stinationis haud immemor non suum modo
 diligenter excolere animum cupit, sed et a-
 liis benignam ad id ferre opem, hominum
 sane naturam, mores, ingenium viresq;
 accurate noscat necesse est, is enim, qui sapi-
 entissima aeterni numinis consilia haud
 sequens de placandis solum affectibus cogi-
 tat, ut diligenter mentem excolat, nullam
 dabit operam, nec unquam vitā suā sibi ali-
 isse usui erit. Sed major jam apparebit
 dignitas, quem ardua Reipublicae negotia et
 eluceantem in illis hominum notitiae utilita-
 tem placuerit spectare. Uno modo id illu-
 strare liceat exemplo. Primum sane atq;
 omnibus aliis Reipublicae negotiis anteponen-
 dum legislatoris est negotium; de publica

enim securitati, de moribus atq; tranquillitate
 civium simulq; cum his de magnae societatis
 humanae felicitate illi est vigilandum. Officia
 itaq; cives docere debet, quibus fungendum est,
 sapientesq; illis ad vitam beate peragendam
 praescribere regulas, quae hominum sane na-
 turae atq; ingenio sunt aptandae. Rectam igitur
 ac tutam ad civilem virtutem atq; sapien-
 tiam hominibus ostendere viam, sicq; universam
 simul cum singulorum perficere salutem, prae-
 clarus iste legislatoris est scopus. Num vero ad
 rationis normam civium diriget vitam, num sa-
 pienter vivendi regulas poterit praescribere su-
 isq; legibus ad felicitatem ducere cives, nisi
 homines prius noscere operam dederit ac fontes,
 unde proveniat humana felicitas sit scrutatus?
 Eadem ergo diligentia hominum notitiae stude-

at necesse est, quia artifex studet naturae,
 cujus pulchritudines efficturus est.
 Tanti in publicis negotiis et universa ho-
 minum societate studium hoc est momenti.
 Sed non id solum fidam et benignam ad
 hominis destinationem illam reddit ducem,
 nam et in arctiori hominum conjunctione
 et quotidiana cum illis consuetudine nos co-
 mitatur magnaque offert commoda. Perung,
 homines nimio amore proprio seducti,
 suas actiones, quamvis malas excusant, ali-
 orum vero severissime reprehendunt atque
 condemnant, id quod maximum mutuae
 inter homines liberalitatis est impedimen-
 tum. Saepissime vitia nostra non alius mo-
 do sed et nobis ipsis, si fieri potest, celamus,
 alios contra homines, licet parum illos

noscamus, severo ac inimico persequimur
 iudicio. Sic sapiens istud ac benignum ob-
 liviscimur praeceptum: Quod tibi non vis
 fieri, alteri ne facias et negligendo illud suspi-
 ciosi coadimus atq; injusti. Periculosum hunc
 felicitatis humanae scopulum tanto nosse bene
 homines novimus, effugiemus melioremq; ingre-
 diemur viam. Diligentius hominum mores,
 animumq; scrutabimur recto illos considerantes
 modo, nec non res causasq; spectabimus, quibus
 ad agendum aut ad omittendum cogitata inci-
 tantur, id quod justos saepe ac benignos nos
 reddet. Plurimum etiam interest, si fructum
 voluptatemq; ex aliorum consuetudine percipere
 cupimus, prudenter nos hominibus fidere ac
 diffidere. Quantum enim dedecoris, quan-
 tum doloris sibi parat, qui primò decep-

tus specie ac impressione improbo se et
 perfido tradit, atq; indigno illi intimas
 mentis aperit cogitationes? Et quantum con-
 tra damni serarq; sibi efficit paenitentiae sus-
 spicax, qui bono ac probato claudit animum,
 et imprudenter forsam sapientem, rejicit
 amicum, qui magnam illi sua amicitia
 paraturus erat voluptatem.

Quis quaeso maximos in hisce omnibus
 hominum notitiam afferre fructus negabit?
 Profecto innumerabilia studii hujus sunt com-
 moda et si ulla alia scientia, haec certe dig-
 na est, ut vel maximam omnes illi impen-
 dant operam.

Non utile vero solum est, bene homines
 noscere, sed et dulce, quin dulcissimum, ac
 omne itaq; studium hoc fert punctum. Valde

sane delectat variâq; et non exprimenda eos
 afficit voluptate, qui illi sese dederunt. Ulti
 enim semper ~~volupte~~ jucundum est atq;
 pulchrum, verum cum externa rerum specie
 componere posse pretium et intima quaq; in-
 vestigare, ita et in scrutando hominum animo
 magnam nobis praebet voluptatem. Insueti
 saepe ac personati homines sese ostendunt,
 facillimeq; splendida nos ipsa fallit species, si
 ex prima solum impressione obiter ipsos dijudi-
 camus. Tum vero, quum aliquo modo artius
 cum hominibus simus juncti, quum omnia,
 quae primo placuerunt, diligenter percontari, in-
 genium eorum aliis inquirere, affectuumq; ac-
 curate investigare possimus mutum, tum de-
 mum voluptate ipsa, quae semper veritatis se-
 quitur explorationem, felicem modo cum-

externa specie consensum, modo mirum in-
ter primam impressionem et verum homi-
nis pretium discrimen animadvertemus. Su-
cundum itaq; nobis est atq; utilissimum homi-
nes uti sunt, noscere, ac detectos exploratosq;
eorum habere animos, cum quibus quotidia-
na atq; familiaris nobis est consuetudo.

Magnum quoq; nonnunquam et inopina-
tum nobis obrepit gaudium, si hominem
forte quendam eximia virtute invenimus,
ubi minime reperire credidissemus. Saepis-
sime in mundo accidit, ut in solitudine vir-
tus lateat praestantissimiq; viri in humili
casa praecellaram degant vitam, quin con-
temnantur à multis, externam modo
spectantibus rerum speciem. Raro vili
sub veffe virtutem et sapientiam vulgo

quaerit, is vero qui hominum noscit, nec
 externa deceptus specie altius illorum serua-
 tatur ingenia, nunquam non si invenerit
 virtutem praestantesq; viros agnoscet.

Utilitas ergo aequae ac voluptas, quae po-
 tissimum in rebus omnibus desiderantur,
 hominum comitatimur notitiam ac praestan-
 tissimam eam reddunt scientiam. Nonne
 maxime id ad illius studium hominum im-
 pellat licet varia et insuperanda fere in
 illo vincenda sint impedimenta? Sunt sa-
 ne magnae difficultates, quae obijciuntur,
 sapientem vero nequeunt detertere, sin-
 magnum quendam ac praecelsum petit
 scopum.

Id sane primum et maximum in ho-
 minum scrutatione est impedimentum,

quod varie mixta bene dissolvere ingenia
ac intimas animi investigare cogitationes
sit difficillimum. Vix sperare possumus,
conjuncta illa omnia implicataq; plane
nos soluturos esse ac perspecturos. Saepissi-
me etiam illi, qui hominum studet expla-
rare ingenia repugnare sibi plane ac contra-
dicere variae eorum videntur conexiones.

Verae enim humanarum actionum cau-
sae absconditae plerumq; jacent, ac nimis
variae sunt, quam quod rite ex illis homi-
nes possimus dijudicare.

Nec non numerosus iste hominum ordo, qui
incerto, levi ac vacillante sunt animo ma-
quam in humani ingenii percontatione atq;
ingratam affect operam. Nonne vagitur ac
levis animi hominem, qui qualibet die,

quia qualibet hora agendi rationes mutare
 videtur, nonne diligenter illum persequi in-
 ter difficillima habetur? Fugaci enim qua-
 dam cogitatione captus avidissime ^{ime} illum per-
 sequitur, tanquam si totius vitae felicitas
 illa contineatur. Incertus sic inter homines
 vagatur, nova semper quaerens, semper dis-
 par sibi ac repugnans. Nonnunquam et de
 industria homines invicem sese occultant et
 abscondunt sicq; observatoris effugere cupiunt
 adtentionem. Artificiose vera mentis cogita-
 ta celantes splendida actiones moresq; insu-
 cant specie, qua et sapientes nonnunquam
 et diligentes decipiuntur. Plurimi, pro dolor!
 dissimulandi nefandissimae student arti; is
 qui animi aufertur motibus aequae ac viti-
 osus boni ac probi indedit personam et sic

animi abscondens pravitatem, ab aliis non
 perfertur solum sed et saepissime honore
 afficitur. Simulac autem e conspectu homi-
 num remotum sese putat, ac pravitatis so-
 cius circumdatum se videt desinit dissimu-
 lare, et bonorum, quibus impeditum se sen-
 tit, molitur interitum.

Sic ab omni parte, si hominum studemus
 notitias impedimenta sese instar montium
 insuperandorum objiciunt et vanam saepe
 observatoris reddere videntur operam. Maxi-
 ma utiq; prudentia, sapientissima delibe-
 ratione, indefessa diligentia ac longa matu-
 ritate, opus est experientia, ne falsis observatis
 incaute nos ac injuste judicemus. Nonne
 et vos humani ingenii notitiam difficilli-
 mam censetis esse diligentiam sapientiam,

ad quam longè tantum atq; aspèra viâ
possumus pervenire? —

Longe vero omnibus impedimentis ante-
cellens hujus studii praestat praemium, sem-
perq; hominum notitia primum omnium atq;
saluberrimum manebit officium. Te ipsum
itaq; o homo! aliasq; bene noscas, licet sum-
mus tibi ad id impendendus sit labor; ac
maxima operâ animiq; contentione homi-
num naturam, actiones virtutemq; aequè ac
vitia explorare studeas! Homo utiq; sis ne
quidquam humani abs te alienum putes!

384.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]